

JACOBI  
PIGNATELLI  
E CRYPTALEIS IN SALENTINIS

S. Theolog. ac J. U. Doctoris

NOVISSIMÆ  
CONSULTATIONES  
CANONICÆ,  
PRÆCIPUAS CONTROVERSIAS,

Quæ ad FIDEM, Ejusque REGULAM spectant, in quibus Errores Atheorum, Infidelium, Schismaticorum, Hæreticorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ hostium referuntur & refelluntur; præsertimque illas quæ circa S. INQUISITIONIS TRIBUNAL versantur, ubi de Inquisitoribus, eorumque Officialibus & Ministris, de Reis in quos jus & potestatem habent, deque Pœnis pro Casuum varietate istis infligendis, & quàm plurima alia ad hoc Argumentum facientia, complectentes.

OPUS PRIMA VICE PRÆLO COMMISSUM, ET JURIS

*Utriusque Consulis non modò, verùm etiam Theologicæ, imò et omnibus Fidem Christianam profitentibus plane necessarium ac utile.*

Cum INDICE CONSULTATIONUM singulis Tomis præfixo.

TOMUS PRIOR.

Expunxi copiosè

Ex delegat. Sen.  
S. Inquisit.

Salmanis. Id. Jul.  
an. 1762.

M. Ribera.



COSMOPOLI,

Apud DOMINICUM PUTEANUM

M. DCCXL

BIBLIOPOLÆ  
AD  
LECTOREM  
PRÆFATIO.

**Q**uam grata & omnibus accepta fuerint quæ hæc-  
nus in lucem prodire Viri Clarissimi Jacobi Pignatelli  
Opera, satis superque testantur multoties iteratæ  
eorum Editiones: Verùm enim verò, quantumvis  
doctæ ac perspicuæ fuerint ipsius Consultationes  
Canonicæ decem Tomis comprehensæ, non omnes complecteban-  
tur Controversias & Casus quos Iuris Canonici mystam novisse,  
juvat. Quam immensa sit eorum seges nemo nescit. In hisce  
duobus, hujusdem Authoris Tomis Consultationum, quas Novissi-  
mas appello, vel ideò quod prima vice typis mandentur, vel quod  
sint ultimæ quas exaravit, reperies plerasque omnes Quæstiones  
quæ ad Fidem ejusque Regulam spectant, in quibus Errores Atheo-  
rum, Infidelium, Schismaticorum, Hæreticorum, & aliorum,  
Ecclesiæ Catholicæ Hostium referuntur & reselluntur, & illas  
præcipuè quæ circa S. Inquisitionis Tribunal versantur, ubi de  
Inquisitoribus, eorumque Officialibus & Ministris, de Reis in  
quos jus & potestatem habent, deque Pœnis pro Casuum varie-  
tate istis infligendis, & quamplurima alia ad hoc argumentum,  
facientia, ut cuius Indicem Consultationum, in adversa pagina,  
consulenti palam fiet. Hoc opus diu multumque à Iuris Consultis  
exoptatum, summoque studio à me exquisitum, hodie tibi sisto.  
Hoc utere & fruire, & labori meo æqui bonique consule, vale.

INDEX





JACOBI  
PIGNATELLI  
Sacrae Theologiae ac J. U. Doctoris,  
NOVISSIMAE  
CONSULTATIONES  
CANONICAE.

Parvi D. Augustino, 1. de Trinit. c. 3. qui, *Optandum esse, ait, ubi Hereses vigent, ut quicumque aliqua scribendi facultate praediti sunt, ii scribant omnes, nisi non modo de rebus iisdem scripturi sunt, sed eadem etiam aliis verbis fortasse scripturi.*

DE FIDE, EIVSQVE REGULA.

CONSULTATIO I

De Fidei Christianae Definitione, ac de ea Sectariorum novissimi error. Et unde sit Fides?



**F**IDES est virtus, divinitus infusa, cujus vi omnino assentimur iis, quae à Deo tradita sunt, hoc est, Dei est donum, quo mens illustrata disponitur, ac inclinatur ad assentiendum iis omnibus, quae à Deo revelantur. Quomodo enim cum per naturale lumen intellectus homo de naturali veritate bene judicat, inclinaturque ad assentiendum principiis per se notis, ita quoque mens per lumen fidei de credendis recte censet, inclinaturque ad assentiendum rebus à Deo revelatis, ut explicat Augustinus Homil. 32. inter Homil. 50. tom. 10.

Porro fides, licet etiam actum credendi significet, hic tamen, ut habitus est, definitur, & quidem in intellectu residens, cujus actus est credere, seu assentiri, accedente voluntatis impetio. Nam per quandam electionem voluntas intellectum, ex se ad utramque contradictionis partem indifferenter, movet ad consentiendum ei, quod Deus revelat. Siquidem cum obsecratur à Deo credibilia revelatur, lumen fidei, quo intellectus à Deo perfunditur, non ita sufficiens ipsum convincit, ut assentiri debeat, sed opus est voluntatis electione, quae à Spiritu Sancto pia affectione mota intellectum captivet, eique imperet, ne ab assensu rei credibilis

propter inevidentiam refugiat juxta illud Apostoli 2. Corinth. 10. *Redigentes in captivitatem omnem intellectum in obsequium Christi.*

Hujus rei evidens exemplum in Abraham fuit, qui contra spem in spem credidit, nec consideravit corpus suum esse mortuum, sed confortatus est fide, datus gloriam Deo, plenissime sciens, quia quocumque promisso Deo, potens est ea facere, Rom. 4. Quod pertinet illud Apostoli, corde creduntur ad justitiam. Quia intellectus pia voluntatis affectione movetur ad consentiendum. Unde Joan. 12. causa infidelitatis Judaeorum, indurationi cordis eorum adscribitur, in quem locum D. Augustinus tr. 26. in Joan. ait, *Judeos non potuisse credere, quia volebant, & Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 5. Disputantur homines ad justitiam, dum excitati divina gratia, fidei ex auditu concipientes libere in Deum moventur, credentes vera esse, quae divinitus revelata, & promissa sunt.*

Hinc actus Fidei justificantis meritorius est, quia imperatus sit à pia voluntatis affectione. Deo enim gratum est, quod credendo se quis obedientem Dei verbo exhibent, ac remuneratione dignum, quod mens humiliter sese Deo subjiciat, ejusque auctoritati cedat, plus ei tribuens, quam ipsa sapiat. Unde Ambrosius in cap. 4. Epist. ad Romanos, *Credere, aut non credere, voluntatis est. Neque enim cogi quis potest ad id, quod manifestum non est, sed invitatur, quia non exorquerit, sed suadet. Quasobrem assentiens promissis assentiendus est, sicut & Abraham, quod non vidit, credidit.*

Ex quibus intelligitur, quam vanum sit haereticorum commentum, qui contendunt, actum fidei justificantis esse actum sincerae, quae modus quidam est ipsi voluntate existentis, cum credere sit actus ab intellectu